

CANTALICIO

BORGIAS (248 vers)

(Giambattista Valentino)

AD MUSAS BORGIADES

B_1 v.1 Este mihi faciles, quaeso, blandaequae, Camenae,
 2 nec vos, Borgiades, sit vocitasse nefas ;
 3 quippe mihi et merito canitur nunc Borgia proles,
 4 Puniceo cinctum cui micat orbe caput.
 5 Materiam sumpsi parvis non viribus aequam :
 6 hoc leve sed vestro numine fiet onus.

AD MUSAS BORGIADES

B-2 v.1 Musae Borgiades, favete coeptis,
 2 coeptos versiculos juvate nostros.
 3 Prosit Borgiades dedisse nomen,
 4 nomen grandisono Marone dignum.
 5 Cur non Borgiades libenter ipse
 6 dicam ? Dicere si solent poetae
 7 Musas Pierides ? Venite, Musae,
 8 Musae Borgiades, favete, Musae.

IN MALIGNOS

B_3 v.1 Subsannare meum, maligne Ronchis,
 2 noli Borgiacum, rogo, libellum :
 3 non est Pegaseo lepore plenus,
 4 non est, confiteor, legente dignus ;
 5 verum est candidusque, pius, bonusque,
 6 comptus Borgiaca nitens quam laude.
 7 Vestrum tendere parce, parce, nasum :
 8 non est hoc parasitus in libello,
 9 qui blandis numeris placere tentet.
 10 Nemo scribere veriora posset
 11 quam sunt, quae canimus, favore digna.
 12 Haec sunt quae teneris peregit annis
 13 noster Borgia : quem putas futurum
 14 hunc tu temporibus virum senectae ?
 15 Non Demosthenis ora, non Maronis,
 16 non certe Ciceronis aut Salusti ;
 17 non Liris fluvius valebit unquam
 18 digne Borgiacas referre laudes.
 19 Subsannare meum, maligne Ronchis,

20 noli Borgiacum, rogo, libellum.

IN REDITU REGIS GALLIAE, RELICTA NEAPOLI

B_4 v.1 Parthenope interea, Gallo redeunte, relictā,
 2 ceperat expulso quam modo rege meo
 3 Pastor Alexander rursus, ne monstra videret
 4 Gallica, per paucos cessit ab Urbe dies ;
 5 sed Spoletina revocavit ab arce nepotem,
 6 tuta quod <ex> uno territa Roma foret.
 7 Atque ita successit : capta nam protinus arce
 8 Hadriani, Gallos hinc procul ire jubet.
 9 Reddidit et tutos ex affini parte Quirites,
 10 in quorum tectis nil nisi terror erat.
 11 Tunc ego non leviter coepi te, Borgia, amare,
 12 et mira ingenii tacta stupere tui ;
 13 nunc ego dispeream nisi te non, Borgia, adoro,
 14 mortali quoniam plus rationis habes.

EIUSDEM LEGATIO AD REG. FERDINADUM

B_5 v.1 Italiae postquam Senonum cessere phalanges,
 2 inque suas fusae vix rediere plagas,
 3 Parthenopesque suum revocarunt moenia regem,
 4 moenia Aragoneis semper amata suis.
 5 Missus adit nostrum legatus Borgia regem,
 6 facturus tutum regis ubique latus :
 7 laetus agens acies equitum peditumque potentes,
 8 magnanimo quamquam pectore fortis erat.
 9 Quo viso, rediere animi, rediere vigores
 10 Parthenope, rediit regis in ora color.
 11 Hostis adhuc quamvis arces numerosus haberet,
 12 et magna in regni Gallia parte foret,
 13 illius in vultu victoria certa nitebat,
 14 nec fuit augurio spes bona falsa suo ;
 15 namque, pericla meo conjunctus ad omnia regi,
 16 Barbaricas furtim fecit abire manus.
 17 Atque ita Parthenope vultus induta priores
 18 plausit Aragoneis libera facta suis.

FACTUS CARD. POST RECEPTAM PARTHEN. ET ARCEM

B_6 v.1 Magnanimo postquam rex Marte receperat arces,
 2 hostibus ejectis, sub sua jura meus,
 3 jam bene pro cunctis sic gestis Borgia rebus
 4 et pro defenso tam bene rege meo ;
 5 Puniceae excelso decoratus honore tiara,
 6 quam bonus a sancta miserat urbe Pater :
 7 ut velut Alcides post fortia facta, deorum
 8 in numero, felix Borgia, jure tores.

DE DOLORE BORGIAE EX MORTE FERD. INSPERATA

B_7 v.1 Mille modis hominum resecat Proserpina crinem
 2 et varia Lachesis sorte resolvit opus :
 3 hos unda, hos saevi rapiunt fera classica Martis,
 4 hos sitis, hos hiemes, hos necat aspra fames,
 5 hos vulcanus edax ; rapit hos male fulminis ictus,
 6 hos de praecipiti celsa ruina trahit ;
 7 hos necat atra lues, necat hos quartana jacentes,
 8 huic rapit infensum longa senecta caput,
 9 aspidis hic morsu : morsu perit ille ferarum,
 10 hos timor, hos perimit perniciosus amor.
 11 Tu sed, Aragonidum rex, gloria maxima regum,
 12 in tua mox victor regna reversus, obis :
 13 vincere terrarum quem non potuere labores,
 14 vincere quem casus non potuere maris,
 15 vincere tam saevi quem non potuere dolores,
 16 gaudia victricis surripuere manus.
 17 Heu, tibi, Parthenope, semper lacrimabile fatum,
 18 dum tua regalis moenia juris erunt.
 19 Heu fuerat templis vix reddita pompa deorum,
 20 vix fuerat magno victima caesa Jovi !
 21 Inter laurigeros quum mors clarosque triumphos
 22 iniecit rapidas mox violenta manus ;
 23 heu heu qualis erat <tibi> taetro, Borgia, casu
 24 Aeacide vultus quum cecidere tui.
 25 Nunc cadis in faciem flendo, nunc ore supinus
 26 visus eras magnos insimulare deos.
 27 Dant lacrimas oculi, resonant singultibus ora
 28 et gemitus quassi pectoris ima trahit :
 29 denique si talem sortem tibi fata dedissent
 30 pro Polluce tuo, Borgia, Castor eras.

B_8 v.1 Clare Fabi, haud ficto sequitur te quisquis amore,
 2 omine conjugii gaudeat me<que> tui :
 3 uxorem quoniam tibi magna Valentia misit,
 4 nomine qua nullum fortium esse potest.
 5 Auguror unde tibi validas fore ad omnia vires,
 6 et validos animos imperiumque potens.
 7 Quisquis erit quoniam cui juncta valentia conjux,
 8 non erit hic semper qua ratione potens.

EPITHALAMION IN NUPTIIS FABII URSINI ET HYERONIMAE BORGIAE

B_9 v.1 Liberi patris Paphiaeque proles,
 2 qui colis celsas Heliconis arces,
 3 huc ades laetis redimite sacra
 4 tempora sertus.
 5 Virginum praesens Hymenaeae raptor,
 6 diripis quas tu gremio parentum
 7 solus ad sponsi thalamos paratos
 8 non sine fletu.
 9 Huc ades, fulcri venerande custos,

10 noctis obscuris inimice furtis,
11 huc ades tantam celebrare laeto
12 carmine lucem.
13 Jungitur nostris generosa proles
14 Borgia Ursinis, propera venire,
15 jungit Ursino Fabio sororem
16 Borgia noster.
17 Tu, soror magni Jovis atque conjux,
18 sic Samos felix tua cura vivat,
19 huc ades, Juno, pia nuptialis
20 pronuba lecti.
21 Huc ades, mater nivei pudoris,
22 crinibus saevae positis Medusae,
23 orta de magni Jovis o profundo
24 vertice, Pallas.
25 Tuque tam laetam, Cytherea, lucem
26 suscipe : ingrata est sine te voluptas ;
27 huc ades sacris comitata triplex
28 gratia nymphis.
29 Tuque, sermonis sapiens repertor,
30 Mercuri, Phoebos comitatus, adsis ;
31 Bacchus et tecum properet decoris
32 cornibus audax.
33 Sint procul turbae furialis angues,
34 sint procul cantus volucris sinistrae,
35 sit procul livor<que>, magaeque sortis
36 carmen et herbae.
37 Ante formosae faciem puellae
38 spineas et tu gere casta taedas,
39 omen et votum sobolis futurae,
40 Patrima proles.
41 Sparge nigrantes hederas, corymbos
42 necte felices foribus coronas,
43 necte : jam gestit nova nupta fortes
44 ire sub arctus.
45 Judicem qualem Phrygium petivit
46 alma devictis Erycina dives,
47 talis ad sponsum properat venire
48 Borgia virgo.
49 Ite vos cunctae, precor, o puellae,
50 obviam intactae, thalamumque sacris
51 sternite auleis ; pueri, nucesque
52 spargite tectis :
53 virginem sed ne pudeat mariti,
54 cujus amplexus cupit illa jam jam
55 ocus casti veneranda sumat,
56 flammea vultu.
57 Tuque jam, quaeso, nova nupta prodi,
58 namque te felix Fabius moratur,
59 non secus, quod qui sitiens anhelat
60 flumina cervus.
61 Quos ibi lusus et utrimque pugnas,
62 quos ibi nexus, Hymenaeae, cernes,
63 quum peroptatae Veneris sonabunt
64 classica Martem.
65 At palaestrita nova nupta prodi,

66 virgo, quid tantum trepidas theatrum ?
67 Par pari, per quod pariter marito,
68 strenua reddes.
69 Nam velut nexu steriles tenaci
70 vinciunt ulmos steriles sequaces,
71 vinciet pugnax tua sic lacertis
72 colla maritus.
73 Inter, o felix nova nupta, cunctas
74 quas Valentinae genuere matres,
75 quas vel insignis genuit puellas
76 Betica tellus ;
77 conjugē o tanto, nova nupta, gaude :
78 non habet talem spatiosus orbis,
79 non habet talem genitrix virorum
80 Roma maritum.
81 Cerne divinos, nova nupta, vultus
82 phosphori, ut vincant radios micantes
83 aspice, ut vincant speciosa lucem
84 lumina Phoebi ;
85 vis ut informet generosa pectus,
86 aspice ut Quintum referat morantem,
87 ut vel Ursinos referat decora
88 fronde vetustos.
89 Sola tanto <tu> fueras marito
90 digna : quae cunctas superas maritas
91 lumine, ut nocti superat minores
92 Cynthia flammās.
93 Sed dies cedit : redeunt tenebrae,
94 Vesper adventat, nova nupta prodi.
95 Ire quid cessas, precor, ad beatā
96 proelia noctis ?
97 Stat vir accinctus foribus Thalassus,
98 carmen ut dulci moduletur ore :
99 jam tuas pridem resonans paratus
100 dicere laudes.
101 Virgo, quid cessas bona ? Quid moraris ?
102 Jam sales turbae resonant jocosos,
103 jam tibi optatum reseravit ampla
104 janua limen.
105 Virgo quid cessas bona ? Quid moraris ?
106 Sol ad occasum ruit, advenito :
107 Pronuba optatum Tyrio paravit
108 murice lectum.
109 Sponse, jam prodiit : nova nupta, gaude ;
110 desine optatam cupidus morari.
111 Ecce, quae jam te faciet beatum,
112 virgo propinquat.
113 Cerne demissam faciem pudore,
114 cerne manantes lacrimas ocellos ;
115 desinas sed tu lacrimare, virgo,
116 desine flere.
117 An tibi raptum lacrimas pudorem ?
118 An times pugnae Fabium paratum ?
119 An tibi tales potius ministrant
120 gaudia fletus ?
121 Sive ne sponsum rapiant Latinae

122 tam tibi carum trepidas puellae ?
123 Sive quod sera lacrimas subisti
124 tecta mariti ?
125 Ille desertor, caveas timere,
126 non erit ; virgo, caveas dolere.
127 Namque servabit tua, crede, semper
128 casta fidelis.
129 Intrat en sponsi nova nupta limen ;
130 flammeum tandem, nova nupta, tolle ;
131 et tibi zonam Cupidi recingat
132 dextra mariti.
133 Ite felices thalami sub umbram,
134 conjuges clarae sobolis parentes ;
135 vivite, et vivax utriusque tarde
136 forma senescat.